

Exemplvm literarvm
qvae Roma Mediolanvm
missae, et ex italico
idiomate in l...



National Library
of Sweden

EXEMPLVM LI-
TERARVM QVÆRO-
MA MEDIOLANVM MISSAE,
ET EX ITALICO IDIOMATE IN LA-
tinum versæ sunt, de ingressu ad publicum Consi-
storium, duorum Legatorum, qui missi sunt à duo-
bus potentissimis Iaponiæ Regibus, & tertio prin-
cipe, recens ad Christianam fidem conuersis,
vt summo Pontifici obedi-
tiam præstent.



PRAGÆ,

Excudebat Michael Peterle.

Anno

M. D. LXXXV.

EXEMPLVM LI

TERARVM QVARTO

MA MEDIO LANVM MISSAS

ET EX ITALIA GIDLOMATI IN

stans velle sunt, de ingreſſu ad publicum Conſ-

istoriam duorum Regorum, qui nunc sunt in do-

bus potentissimis Japonia Regibus, & tentis pri-

cipe, recens ad Christianam fidem convertis,

ut summo Pontifici obedien-

tiam prestent.

* * *



PLAC

Reservata Michael P...

Ann

M. D. LXXV.

Nouum quiddam & periucundum
D. T. referam, hodie habitum est
consistorium publicum, in aula
regia, (qua solummodo reges eo-
rumq; Legati audiri ac recipi so-
lent) in eoq; recepti duo legati
missi à duobus potentissimis Iaponiæ regibus, ac
tertio principe, recens religioni christianæ adiun-
ctis, vt Papæ tanquam in terris Dei Vicario, & san-
ctæ sedi Apostolicæ, obedientiam eorum nomine
præstent. Ea res totam urbem stupore, admiratio-
ne atq; lætitia incredibili compleuit, cum viderent
homines tam novos, è regionibus adeo remotis,
quorum ne minima seculis elapsis apud nos cog-
nitio haberetur, præcipuè dum & negotij pondus,
cuius gratia huc concesserunt, & miram Dei boni-
tatem ac misericordiam, qua dignatus est illos po-
pulos adeo remotos & idolis deditos, ad verum lu-
men veriq; Dei notitiam, ac viam salutis traduce-
re, animo reputarent. Verum vt singula magis,
tum de illis regionibus, tum de his qui ad nos ve-
nerunt D. T. explicem, ea referam quæ ipse ab ijs
accepi, dum ab Illustrissimo Cardinale Domino
meo cum Rheda illis obuiam missus heri fuisset.

Iaponia prouincia vna est amplissima continens
sexaginta regna, magno ab Indijs Orientalibus spa-
tio dissita, à nobis vero adeo remota, vt hi legati tres
amplius annos, partim mari, partim terra, in via po-
suerint. Tota cultū falsorum Deorum sequebatur.
Cæterum Iaponenses optimo sunt ingenio, poli-
tiæq; admodum studiosi. Eo ante triginta & plu-
res annos, ope planè diuina, penetrarunt quidam è
societate Iesu sacerdotes, ibiq; fidem Christi profe-
minare ac propagare cæperunt, quæ adeo foeliciter
creuit, vt modo amplius ducenta millia Christia-
norum ibidem numerentur, nonnulliq; reges po-
tentissimi, fidem cum Baptismo receperint. Ex
ijs Franciscus rex, misit huc D. Mancium Fiungæ
regis nepotem. Rex autem Protasius & Princeps
Bartholomæus D. Michaëlem, qui illius nepos,
huius vero consobrinus est, direxerunt. In eorum
comitatu sunt alij duo nobilissimi iuuenes, quo-
rum alteri Marcij, alteri Iuliani nomen est, omnes
quatuor tam sibi similes, vt fratres germanos iura-
res, quanquam nulla sanguinis societate sint con-
iuncti, nec multum annis differunt, cum primus
eorum annum 20. alter vero 18. nondum explêrit,
colore fuscii vti Portugalenses, Linguam Lusitani-

cam &

cam & Hispanicam, apprimè tenent. Italicam & Latinam etiam aliquo modo norunt ex vsu & eruditione Patrum Societatis Iesu, qui ijs astant & eos regunt, inter quos sunt aliqui Lusitani qui callent linguam Iaponicam, & vnus Iaponius linguæ Lusitanicæ gnarus: præcipuum tamen quod in ijs re- lucet & eos commendat, est rara quædam opti- mis moribus, ac singulari ingenij acumini con- iuncta pietas. Venientes ex Hispania (vbi regiè à Rege fuère excepti) applicuerunt ad Portum Li- burnum, & dum Florentiam transirent, honor est illis à duce habitus, ditionem verò Pontificis vbi attingerunt, toto reliquo itinere honorificè fuère habiti, missis à summo Pontifice obuiam leuis ar- maturæ equitibus, qui eos Romam vsq; comita- rentur, quo heri vesperi peruenerunt, hospitio in domo Societatis Iesu excepti. Hodie vero mane, concessit eo aula Pontificis, familia Cardinalium & tota nobilitas Romana equestris, his custodia Pontificia, tum equitum leuis armaturæ, tum Hel- uetiorum iuncta est, vt legatos exciperent, & mag- nificè regia ad aulam Pontificis deducerent. In consistorium introducti, exosculatis pedibus suæ sanctitatis (qui non secus ac pater eos ad mo-

dum excepit humaniter, ex ordine singulos complexus) dictorum regum literas exhibuerunt, datas Anno 1582. quæ acceptæ apertæq; à sua sanctitate, & traditæ Secretario, vt eas publicè legeret. Hæc ferè continebant. Quod posteaquam Deus summa benignitate, ipsis errorum tenebris immerfis, claritaris suæ lumen iussit splendescere, nihil magis in votis habuerint, quam vt emenso per maria ac terras immenso spatio, ipsi per se Pontificis pedes exosculari, ac eos suo capiti super imponere possent, verum cum ob bella aliaq; impedimenta id minimè illis liceret, visum esse: vt loco suo mitterent Legatos, cum P. Visitatore è societate Iesu, qui coram eorum vota referant, orando suam Beatitudinem, vt illos audiat eisq; faueat. Postea è Societate Iesu sacerdos Lusitanus, habuit egregiam orationem Latinam, cuius copiam mittam, vbi typis excusa fuerit. Consistorio dimisso cum S. S. conclaue peteret, dicti Legati honoris ac fauoris ergo, extremam pallij S. S. oram, (qui honor solis Pontificibus exhiberi solet) suis manibus tenebant. Tandem ab Illustrissimo Cardinale S. Sixti amicitia & honoris causa vna cum socijs & patribus, qui eorum curam gerunt, prandio sanè

regio

regio excepti fuere. Fertur eos hic hæsuos vsq;
post pascha, deinde profecturos Neapolim, inde
Lauretum tum Venetias, & ad præcipuas Italiae
ciuitates, vt quæ visu digna sunt vi-
deant. Vale.

★ ★

★



regio excepti fuere. Fe
post pascha, deinde pro
Lauretum tum Venetia
ciuitates, vt quae
deant

★



ic haesuros vsq;
Neapolim, inde
aeipuas Italiae
sunt vi-

